



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XLVII. Bischof Dieterich von Brandenburg bestätigt dem Domstifte Brandenburg das Recht, den Ueberrest der Pfarreinkünfte zu Nauen, Markau und Ketzin nach Deckung der diesen Pfarren obliegenden ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

de ejus fructibus et redditibus integre responderi, adhibitis alijs sollempnitatibus debitis et consuetis. In evidens testimonium meum sigillum presentibus appendi, et ego, Petrus Schonenberch, altaris dicti opidi Nowen in signum supradicti consensus mei et aliorum altaristarum in Nowen meum sigillum cum appensione sigilli predicti domini Bernardi plebani presentibus duxi appendendum. Datum Nowen anno domini M^o. CCC. LXXI. die beati Urbani pape et martyris.

Nach dem Original des Domarchives zu Brandenburg.

XLVI. Der Bischof Dietrich von Brandenburg investirt Heinrich Perwenitz als Altaristen zu Nauen, am 15. Septbr. 1371.

Thidericus, dei et apostolice sedis gratia episcopus Brandeb. discreto viro, domino Petro Schonenberghe, altaris in opido Nauen, nostre dioecesis, salutem in domino. Discretum virum, dominum Henricum Perwenitz, quem ad presentationem domini Bernardi Branden, canonici nostre ecclesie Brandeburg., plebani vulgariter nuncupati dicti opidi Nauen, adhibito consensu altaris ibidem in Nauen de altare beatorum Petri et Pauli apostolorum, sito in ecclesia parochiali dicti opidi Nauen, per obitum domini Johannis Borneke, ultimi ipsius rectoris, vacante, investivimus et presentibus investimus, accessum et regimen ipsius altaris sibi committendo vobis transmittimus, mandantes, quatenus predictum dominum Henricum Perwenitz in possessionem dicti altaris ducatis, corporalem, facientes sibi a reddituariis ejusdem altaris et ab hiis, quorum interest, debitam reverentiam et obedientiam exhiberi et de fructibus et redditibus ipsius altaris integre responderi, adhibitis alijs sollempnitatibus debitis et consuetis. Datum Seiefer anno domini M^o. CCC^o. LXXI. die beati Nycomedis martyris, nostro sub sigillo.

Nach dem Original des Domarchives zu Brandenburg.

XLVII. Bischof Dieterich von Brandenburg bestätigt dem Domstifte Brandenburg das Recht, den Uebertrest der Pfarreinkünfte zu Nauen, Markau und Kegin nach Deckung der diesen Pfarren obliegenden Lasten, in seinen Nutzen zu verwenden, am 26. März 1372.

In nomine domini Amen. Cum ad ea, que religionis augmentum et deo militantium defectuum possint concernere relevamen, dignum et congruum sit aures convertere propulsatas et confirmationis robur impartiri, presertim que sunt et longiturnitate temporis et provida predecessorum liberalitate firmata: hinc est, quod nos Thidericus etc. episcopus Brandeb., dudum ante plures annos comperto, quod prepositus, canonici et capitulum ecclesie nostre Brandeb., qui canonici regulares ordinis Premonstr. existunt, parochiales ecclesias in Nauen et in Markowe et in Kottzin, nostre dioc., jam quadraginta annis et ultra pacifice habuerunt et tenuerunt et possederunt, prout adhuc tenent, habent et possident pleno jure, sic quod eos et earum quamlibet prefatis temporibus per suos et eorum capituli concanonicos rexerunt et hodie regunt et earum fructus, redditus et proventus, supportatis debitis ipsarum ecclesiarum oneribus, in proprios suos usus converterunt et convertunt et quod hujus-

modi ecclesiarum possessio et detentio a nonnullis nostris predecessoribus, episcopis Brandeb., pro tempore fuit et erat confirmata; Etiam nos ipsis preposito, canonicis et capitulo, attenta ipsorum paupertate multiplici et inopia pregrandi, quanto melius possumus, easdem ecclesias denuo eisdem presentibus incorporamus et concedimus pleno jure sic, quod quidquid est residui, de ipsarum fructibus, redditibus et proventibus debitis oneribus supportatis ad mensam communem dictorum prepositi, canonicorum et capituli duntaxat valeat applicari. Ne igitur in futurum ullorum contradictionibus seu inquietationibus possint dicti prepositus, canonici et capitulum super eisdem molestari, ut ipsi perpetuo in eorum religione propter hoc supportati pro salute omnium fidelium virorum et defunctorum possint exorare, presentes literas, nostri appensi sigilli munimine fecimus roborari, presentibus discretis viris Thiderico de Geben, Verdenfis dioc., et Nicolao de Machenow et Nicolao de Lubas, presbiteris nostre dioc. et Huperto de Soltwedel, officiali nostro, et Conrado Palmedach, clerico Brandeb., publico notario, testibus ad premissa. Datum Seiefer anno domini M. CCC. LXXII. sequenti die annuntiationis beate Marie virginis.

Nach dem Originale des Domstifts Brandenburg.

XLVIII. Dieselbe Bestätigung in anderer Form, vom 26. März 1372.

In nomine domini Amen. Nos Thidericus etc. episcopus Brandeburgensis, intendentes et cupientes inopie monasterii seu ecclesie Brandeburgensis tenuitatie fructuum et reddituum ejusdem per rapinas et incendia guerre destructorum et nimium extenuatorum ac indigentie prepositi, prioris, canonicorum regularium ipsius ecclesie seu monasterii, ordinis Premonstratensis, subuenire eorumque paupertati ne mendicare cogantur pie subventionis auxilio relevare, opidorum Nowen et Cottzin et ville Markowe, nostre dioecesis, parrochiales ecclesias, quorum jus patronatus ex donatione illustrium principum Ottonis et Johannis et Woldemari, olim marchionum Brandeburgensium, pie recordationis ad prepositum et capitulum predictos pertinebat, cum omnibus suis pertinentiis, fructibus et utilitatibus monasterio predicto et mense dictorum prepositi et capituli cum consensu eorundem prepositi, prioris et capituli dicte ecclesie Brandeburgensi auctoritate ordinaria unimus et easdem ecclesias cum eisdem suis pertinentiis, fructibus, utilitatibus et juribus universis in dictum monasterium transferimus pleno jure, dantes et concedentes eisdem preposito, priori et capitulo dicti monasterii et suis successoribus, qui sunt pro tempore, liberam auctoritatem possessionem earundem ecclesiarum, quam primum eos extunc et in antea vacare contigerit, nanciscendi, ingrediendi et regendi per personas ejusdem monasterii et ipsarum fructus in usus eorum et ejusdem monasterii convertendi. In cujus rei testimonium etc. presentibus discretis viris Thiderico de Geben, Verdenfis dyoecesis, Nicolao de Machenow et Nicolao de Lubaz presbiteris nostre dyoecesis et Huperto de Soltwedel officiali nostro et Cunrado Palmedach, clerico Brandeburgensi publico notario, testibus ad premissa. Datum Seyefer anno domini M. CCC. septuagesimo secundo, sequenti die annuntiationis beate Marie virginis.

Nach dem Originale des Domstifts Brandenburg.